

gressu nititur, & collum serpendo extendit. Consequitur horum morsum color isti loci cruentus, coloris tetri, & nigricans: ex quo nihil in initio effluit, præterquam paucū quidpiam aquosum. Ventriculus dolore tentatur, adestq; spirandi difficultas. Deinde sanguis ex naribus profluit, & ex ipsius morsus foraminibus: & si qua in corpus obducta iandiu sit cicatrix, ea rumpitur, & sanguinem profundit. atq; hæc quidem in maris Hemorrhoi morsus contingūt. A foemina uero Hemorrhoidis morsu ad hæc & anguli oculorum, dentium gingiue, & unguium radices sanguine manant, & ut simpliciter dicam, per omne corpus sanguinem efferri contingit. Dentis præterea excidunt, & gingiue putrescunt. Horum porro curam facere oportet, primū quidem sanguinis eruptioni obluendo ac resistendo ijs medicamentis, quæ aptè sanguinem sistere possunt. deinde cataplasmata plage imponendo ex folijs uitis coctis tritis cum melle, & portulacæ folijs cum polenta. Antea uero quàm cruenta prodeat urina, alij multum deuorent, multumq; uini diluti bibant, & ad uomitum cogantur. deinde confestim theriace exhibeatur, & postea pisces multos, allijs tritis cum oleo tinctos edant. Sumant item in cibo panē, & uinā passam dulcem, & deinde uino diluto largè haustio uomant. Plaga uero aqua frigida proluatur: uestica autem spongijs calidis soueatur. Sed iam de Dipsade differamus, quæ sic à Grecis dicta est, quod continuam, & inextinguibilem sitim excitet. Huius mentionem fecit Galenus libro xi. simplicium medicamentorum, ubi eiusmodi seras in Lybia, non in Italia reperiri scribit: quod hæc regio humida sit, illa uero stercisima. Hoc autem à Marsis, qui Romæ uiperas uenabantur, accepisse ait: quibus tamen non in omnibus fidem adhibendam esse existimat. Quare longè minus nos ijs circumscribere fidē præstare debemus, qui Marsos hosce imitati, diui Pauli generi se adscribunt, seq; indo ortum duxisse prædicant. Nam si Galeni etate hi mendacissimi nebulosus uniuerso orbi imponebant, ueri quidem simillimum est, eos qui hodie per Italiam uagantur, longè magis decipere posse, quàm fecerint Marsi illi antiqui. quippe non dubitandum, quin eorum astus à Galeni seculo in hunc usque diem protractus, maximum susceperit incrementum, quod constet mortalium ingenia tam in bonum, quàm in malum procliuia, etate magis acui. Meminit etiam Dipsadis Galenus libro de theriaca ad Pisonem, sic scribens. A dipsade commorssi causo febris malè conficiuntur. nam & multa sitis, & aestu uehementi uexati, interdum & dirupti, diem obeunt. His Galeni uerbis subscribit Aëtius lib. xiii. ubi sic inquit. Dipsas, quæ à quibusdam causus appellatur, uiperæ est species, quæ magis in maritimis locis reperitur, quàm alibi, magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinens: notas autem habet per omne corpus fuluas, & nigras: caput uero angustius. Sequitur autem ab ea demorsos, præter ea quæ de uipera dicta sunt, & sitis intolerabilis plane, adeo ut etiamsi multus potus eis adhibeatur, sitis non sedetur: & tamen neque per urinas, neque per uomitum, neq; per sudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non sumant: aut ob multam potus repletionem distentus rumpitur uenter, uel infernè circa inguina, uel circa inuim uentrem, ut in aqua inter cutem sæpius euenit. Ceterum & his, ceu à uipera demorsis, auxiliamur: propriè autem in his potiones magis urinam cientes exhibeantur. Alius item per infusum eluatur, & oleo cum decoctis exhibitio, ad uomitum cogendi sunt malè affecti. Ad plage uero locum, post exuccionem, circuncisionem circunquaque scalpello factam, cucurbitularum affixionem, & dissectas gallinas admotas, calx uiua cum oleo imponitur, & emplastra attractoria, & theriaca illinuntur. Porro Dipsadis priuatim meminit Aelianus lib. ix. de historia animalium, sic inquit. Dipsas, cuius uim, & naturam eius, nomen nobis declarat, inferior quidem est magnitudine, quàm uipera, sed tamen in occidendo quàm celerrimè superior. Cuius morsu confixi etsi asiduam potionem hauriant; ad sitim tamen continuò exardescunt, & ad bibendum eatenus inflammantur, quoad celerrimè rumpantur. Eam Softratus cum albam esse ait, tum duas in cauda lineas nigras habere. Et sicut audio, uario, multipliciq; nomine nuncupatur: quidam præterea uocant, alij caufonem, alij anombaten, à quibusdam melanurus appellari fertur. Cum in Aprica, tum magis in Arabia nascitur. hæc Aelianus. Ex quibus uerbis manifestè deprehenditur error Leoniceni uiri alioquin eruditissimi, qui Dipsadem putauit corporis forma nullis notis à uipera diuersam esse. Nec equidem scio, quæ ratione, uel autoritate nixus, in hanc opinionem uenerit, in eaq; persisterit.

Hæmorrhoi morsus note, & curatio.

Dipsadis historia, morsus signa, & cura.

Leonici error.

Υδρος. NATRIX.

CAP. LI.

AB NATRICE demorsis vlcus dilatatur, & liuidum, ac ingens euadit. Sanies ex eo multa, & atra, & malè olens, non secus atque ijs quæ serpunt vlceribus, expuitur. Si ergo morsum natrix adigit, prodest origanum tritum, & aqua subactum: lixiuia cum oleo indita, aut aristolochiæ cortex, aut querna radix minutim contrita, & hordei farina cum aqua, & melle colliquata. Bibuntur etiam binæ aristolochiæ drachmæ in potione poscæ cyathis duobus, deinceps marrubij succus, vel decoctum alterius cum uino. fauus recens datur in aceto.

HYDRVS anguis in aquis plerunque degit, à quibus nomen sibi uendicauit. Sunt & qui Natricem, quod a quis innatet, uocent. Hic si relictis aquis, terras inhabitet, longè nocentior euadit, uocaturq; tunc chersydrus. Diferunt tamen is à dryino, qui (ut superius diximus) Nicandro hydrus etiam appellatur. Siquidem ipse de Hydro, cuius nunc historiam, morsus discrimina, & remedia prosequimur, differuit sub Chersydri nomine in theriacis, sic carmine in profam uerso scribens. Age itaque chersydri, qui aspidi conformis est, figuram æqualem recita. Sed plagam eius malefica, & pessima sanè signa sequuntur. Tota cutis circa carnem arida, & abominabilis expassa ab internis partibus, humentem istum satis certò indicat, putredine satiscens. Quinetiam dolores immensi ignescentes, hominem tandem interimunt. mox etiam per membra pustule finguntur, aliæ ex alia parte inuicem turbantes ægrum. Atqui chersydrus iam antea in uuido, seu parum aquæ habenti lacu, irreconciliabilem ranis iram adfert. Enimvero ubi sole

Hydri, sive natricis historia.

aqua

Chersydri na-
tura, morsus,
& curatio.

aqua exiccata fuerit, adeoq; ariditas in fundo extiterit lacus, tum hic serpens in terra sese continet, & squallidus, & deformis in sole tetrum corpus suum rescellans: in semitis autem, lingua sua afflando sitibundus sulcos exedit. hęc ille. Chersydri quoque meminit Aëtius lib. XIII. cap. XXXV. his uerbis. Serpens hic chersydri appellationem inde habet, quod in principio quidem in aquosis degit locis, & hydrus appellatur ab ipsis aquis, hoc est natrix. postea uerò siccos incolit locos, & ex compositione locorum, chersydri, id est natricis terrestris, nomen inuenit. In humidis quidem locis, ex humido uictu exsatiatus, non purum uenenum habet: cum autem terrestris sit, nocentius id acquirat. Ceterum forma, paruam terrestrem aspidem refert, præterquam quod ceruicem non ita latam habet: hoc enim insigne solum aspides præ his habent. Qui igitur ab hoc morsu sunt, eis communiter eadem accidunt, quæ in aliorum serpentium morsu, ueluti est tumor, continuus dolor ardens, liuidus locus, & seculentus, uertigo oculorum, exolutio, uomitus biliosus, ac scetidus. Proprie autem motus totius corporis inordinatus, ut et per uentræ quædam inordinatè ferantur: mors autem intra tres dies. Porro ex communibus remedijs etiam hi opem ferunt, & ex theriacis antidotis. Priuatim uerò coni cupressi drachmam unam, et myrti baccarum itidem unam, terito, & cum melle rosaceo, aut uino mulso in potu exhibeto. Iuxta uerò affectum locum calcem uiuam, & similia, cum oleo imposito.

Κέρχρος. CENCHRVS.

CAP. LII.

CENCHRI morsum, qui viperino ictui similis est, putridum ulcus sequitur. carnes antea, ut in aqua inter cutem, prætumidæ defluunt. lethargo corripiuntur, & ueterino pressi fomnos captant. Erasistratus eos iecinore, intestino ieiuno, coloq; conficitari author est. quippe dissectis ipsis, omnes ferè partes corruptæ reperiuntur. Morsus à cæthro auxiliatur lactuæ fructus cum lini semine illitus, & satureia trita, & syluestris ruta, & serpyllum, cum duabus hastulæ regiæ drachmis, & tribus vini cyathis, aut aristolochiæ radix, item cardamomum, & gentiana.

Cenchri con-
sideratio.

QUANVIS Aëtius appellauit Cenchrum ammoditen, & acontiam cenchriten; non tamen propterea censendum est Cenchrum, de quo hic differit Dioscorides, ammoditen, aut acontiam esse: quod hic nullam cum illis habeat cognationem, nec similitudinem. Ea autem de causa Cenchrus dictus est, quod maculis perquam minimis (ut Lucanus est author) milij magnitudine, & colore, uniuersum eius corpus respersum appareat. Auicenna cenchrum famosum appellat.

Κεράστis. CERASTES.

CAP. LIII.

A CERASTE percussis locus attollitur, cum duritia pustulosus. è plaga sanies profluit, modò atra, modò pallidior: sed toto concretu varicosus intumescit: genitale intenditur, mens labat, & oculorum caligo exoritur: denique rigore neruorum distenti commoriuntur. Si cerastes percusserit, cita partis amputatio suffragatur. quare sine mora ictam partem amputare, aut scalpro confestim circuncidere, & ijs similia prosequi oportet. Vrentia insuper reliquijs admouenda: siquidem virus hoc ueneno basilisci simile est.

Cerastæ mor-
sus exitialis,
& auxilia.

CERASTAE, quorundam probatissimorum authorum testimonio, in Aprica duobus in capite cornibus chlearum instar oriuntur, à quibus cerastæ, hoc est cornuti, nomen inuenerunt. Horum morsus lethalis ferè semper fuerit, nisi (ut Dioscorides inquit) demorsum membrum statim à reliquo corpore abscindatur, amputeturq; aut saltem illico omnis caro, quæ demorsum ambit locum, circuncidatur. Immanis hæc fera (ut refert Aëtius) cubitalis est longitudinis, longissima duorum est cubitorum, corpore uerò arenosa, & iuxta caudam desquamata. Eminentius habet in capite duas, cornuum similitudine: partes uerò circa uentrem ex ordine squamis obsitæ sunt. quapropter in serpendo sonum sibilo similem edit: per obliquum autem, non rectè proreptat. Ceterum percussis ab ea, eleuatio ac tumor plagæ capitis clauis similitudine insurgit, & sanies profluit uini colore, aut nigricans, & maxime per ambitum, uelut in cruentatis ac sugillatis aliàs fieri consueuit. Reliqua item, quæ in uiperæ morsu dicta sunt, etiam his succedunt, cum intensione uehementiori. Ut plurimum uerò usq; ad nonum diem supersunt. Remedia autem eadem, quæ morsus à uipera conferunt. hæc Aëtius.

Ἄσπις. ASPIS.

CAP. LIIII.

AB ASPIDE ictis vulnus exiguum profus, quasi ab adacta acu citra tumorem conspicitur: sanguis exiguus ille quidem, sed ater distillat: caligo uelox oculos obnubit: labor in totum corpus multiplex, omnino leuis, & non sine uoluptate consequitur. Ideo Nicander perpulchrè cecinit. At uir perit absque labore, virens, atq; discolor. mediocris stomachi dolor afficit: frons perpetuò reuellitur: genæ contremiscunt, quasi sine sensu in somno uacillent. hos mors tollit, ad diei trientem non dilata. Ceterum ijs, qui ab aspide feriuntur, quæ de ceraste scripta sunt, auxilia dari debent. Nam uenenum hoc, quemadmodum basilisci, aut sanguis bubulus, celerrimè in arterijs sanguinem cogit.

REPERIO

REPERIO apud eos auctores, qui animalium historias tradunt, tria Aspidum genera constitui, & unumquodque, ubi hominem morfu comprehenderit, celerrime mortem inferre: quippe tanta est earum ueneni uis in hominum necem, ut rarissime feruentur, qui ab eis percussi fuerint. De his scribens Galenus libro de theriaca ad Pisonem, sic inquit. Inter aspides nominata ptyas collum exporrigenes, & spatij metita longitudine, perinde ac si tunc rationalis fera facta esset, uenenum solerter corporibus inspuat. Harum itaq; ferarum una (siquidem tria sunt Aspidum genera, ptyas dicta, chersæa, & chelidonia) reginam ferunt Cleopatram, cum uellet custodes latere, statim, & citra suspicionem mortem sibi consciuisse. Hæc ille, qui subinde pluribus historiam enarrauit tam inuicti animi huiusce moribundæ reginæ. Cæterum chelidoniam uocatum, id nominis sibi comparasse uolunt, quod hirundinũ modo dorso nigricet, & candideet aluo. quemadmodum & ptyas altera dicitur, quod in hominem expuat. chersæa uerò ita dicta est, quod in mediterraneis semper degat. Harum omnium meminit Aetius libro XIII. cap. XX. sic inquit. Aspidum apud ferarum scriptores tres species reperiuntur. quædam enim ex eis terrestres appellantur: quædam uerò chelidoniæ, quæ circa fluuiorum ripas, præsertim Nili, latibula habent: aliæ uerò ptyades nominantur. Terrestres quidem igitur maiores sunt, & quandoque usq; ad quinque cubitorum longitudinem reperiuntur. Maximæ uerò ptyades, cinereo sunt colore, uiridq; & ad auri colorem inclinante. Terrestres uerò ut plurimum & ipsæ cinerei sunt coloris, quanquam & subuirides reperiuntur. Cæterum accessiones, & signa communia sunt in his, quos aspides momorderunt. Vulnera enim in demorso loco, ueluti ab acu puncta inueniuntur: bina quidem ex maris morfu, ex foemellæ uerò quatuor citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, nisi uolentum animal sit, quod morsum infligit. Consequitur autem stupor, pallor, frontis refrigeratio, asidui hiatus, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis grauitas, segnities, & collapsio in somnum profundum, ad finem uerò & conuulsio. Mors autem in tribus ad summum honoris ex terrestris morfu sequitur: in chelidoniæ uerò ictu præsentissima adest. Porro his, qui à ptyade conspuuntur, caligo oculorum succedit, & cordis dolor, faciei tumor, ac auditus corruptio: tardius autem mors consequitur. Auxilium autem ab aspide morfi ferunt, & præsertim quos ptyas momordit, ex acerrimi aceti potu: dandum autem est, quousque aceti qualitatem circa dextram præcordiorum partem perceptent, hepar enim in morsis ab aspide primum aiunt sensu priuari. Cæterum ad prænotionem, an uicturus sit percussus, centaurium cum uino tritum bibendum præbent: siquidem enim euomet pharmacum, morietur; si non, uiuet. Quo uerò ueneni in corpus distributi uis probè euomatur, allia trita cum zytho exhibenda sunt, donec nauseabundus reddatur malè affectus. aut opopanax cum uino diluto detur, & confestim euomet. Numius autem inquit. Origanum uiridem, aut aridam pro ægri uiribus cum uino dato. Post uomitum antidotis theriacis utendum, & communibus remedijs prædictis. Vtiliter autem ad plagam imponuntur post cucurbitarum adhibitionem, & scarificationem, centaurium cum myrrha, & modico opio.

Rumex autem si cataplasmatis modo imponatur, nihil ledetur. Præter opinionem uerò auxiliatur theriace tum plaga imposita, tum pota. Profunt autem et asidue excitationes cum emulsionibus, et plagis, et uniuersum corporis motus, & aqua marina calida pro fomento aspersa. hæcenus de aspidibus Aëtius. Efficacissimum porro, & omnium, quantum equidem expertus sum, præstantissimum antidotum contra uenenosum ictum aspidum, quas surdas dicunt, quæ in Italia pluribus in locis reperiuntur, est nostra quinta essentia, ex aqua uitæ et antidoto nostro confecta. Quippe cum tenuium admodum sit partium, ictu oculi in uniuersum corpus diffunditur, uenas, et arterias confestim permeans. Vnde prohibet, ne sanguis et spiritus in uasis refrigerati cogantur: atque aucto calore innato, ueneni uim arceat potentissime, idq; superat citissime.

Aspidis perniciosis ictus, & genera.

Aspidum historia, ictus nota, & cura.

ΒΑΣΙΛΙΣΚΟΣ. BASILISCVS.

CAP. LV.

ERASISTRVTVS in libro, quem de medicaminibus, & uenenis condidit, de uocato basilisco scitè ita refert. Cum basiliscus momorderit, vulnus ad auri colorem efflauescit. Itaq; in plurimis, quæ virus ei aculantur, comites notæ ita se habent. Ad basilisci morsum, ut idem Erasistratus auctor est, auxiliatur castorij drachma in uino pota: item papaueris succus. Ictuum remedia ita se habent.

MULTIPLEX uariq; est apud ferarum scriptores Basilisci historia, quem Latini Regulum uocant. Sunt enim qui scribant tantæ perniciæ animal esse Basiliscum, ut solo oculorum intuitu, alij sibilo tantum, alij halitu, alij uerò morfu, homines statim interimat. Nec desunt qui uulgi opinionem secuti, ex antiqui galli ouo hanc seuisimam feram nasci putant. Ex hac itaque historiarum uarietate, ac inconstantia facile adducor, ut credam, plerosque historiarum basilisci, ut fabularem, descripsisse. Id quod etiam probè Dioscorides sensisse, atq; adeo nostro iudicio ad stipulandum uidetur. Siquidem is ne cum alijs accusaretur, Erasistratum citauit, auctoremq; historie huius fecit. Basilisci meminit Galenus libro de theriaca ad Pisonem (si tamen liber ille inter legitimos censetur) ubi sic inquit. Basiliscus bellua subflaua, & triplici frontis apice munita, tantummodo confectus, & quando sibilat auditus, uidentes se, & audientes necat: atq; si quod aliud animal illum etiam mortuum attingit, statim moritur. Hinc aiunt omne aliud reptiliũ genus cauere, ne basilisco uicinum habitet. Libro uerò X. cap. primo de simplicium medicamentorum facultatibus idem contra Xenocratem scribens, non omnino Basilisci historiam comprobare uidetur, sic inquit. Nam bestiam seu feram regiam, quam uocant βασιλικὸν θῆριον, ne uidere quidem mihi unquam contigit: & si uera sunt, quæ de illa referuntur, periculosum etiam est uel propè accedere ad hoc animal. Aelianus præterea Basiliscum tanta ueneni acuitate, et immanitate pollere ait, ut quauis magnitudine dodrantalè non excedat mensuram; serpentes tamen omnes etiam ingentes suo duntaxat halitu extinguat, adeo ut uirga quoque è longinquo contactus, illico tangentem conficiat.

Basilisci uaria historia.

Catoblepas.

Plura fabulosa in Basilifci historia.

conficiat. Huius item horrendissime ferae historiam tradidit Plinius lib. VIII. cap. XXI. ubi ita scriptum reliquit. Apud Hesperios Aethiops fons est Nigris, ut plerique existimauerunt, Nili caput, ut argumenta, quae diximus, persuadent. Iuxta hunc fera appellatur Catoblepas, modica alioquin, caeterisque membris iners, caput tantum praegrave aegre ferens: id deiectum semper in terram. Alias internecio humani generis, omnibus, qui oculos eius uidere, confestim expirantibus. Eadem et Basilifci serpentis est uis. Cyrenaica hunc generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insigni. Sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici, nec ut reliquae, corpus impellit, sed celsus et erectus in medio incedens. Necat frutices non contatos modo, uerum et afflatus: exurit herbas, rumpit saxa. Talis uis malo est. Creditum quondam ex equo occiso hasta, et per eam subeunte ui non equitem modo, sed equum quoque absumptum. Huic tali monstro (sepe enim enectum concupiuere reges uidere) mustelaru uirus exitio est: adeo naturae nihil placuit esse sine pari. Iniscunt eas cauernis, facile cognitae sola tabe. Necant illae simul odore, moriunturque, et naturae pugnam conficiunt. Haec de basilisco Plinius. Quem tamen plura cum alijs fabulosa narrasse putamus. Nam si tantum oculorum intuitu, sibilo, aut halitu hominem interficit, non equidem uideo, quomodo factum sit, ut ij qui ipsum uiderunt, eiusque faciem adnotarunt, ex quorum postea relatione huius ferae historiam plerique descripserunt, incolumes euaserunt: praesertim cum tam paruum sit animal, ut nisi e propinquo loco conspici possit. Atque adeo hinc mihi impossibile uidetur, quin ipse aspicientes non uiderit, cum (ut Plinius refert) non multiplici flexu incedat, ut reliquae ferae, sed celsus, et erectus: uel quod ex insecto circumstante aere, qui uiderunt non perierint. Caeterum cum Erasistratus his fabulis nullam fortasse fidem adhiberet, certoque sciret Basiliscum morsu tantum, ut aliae ferae, homines interimere, eius dumtaxat morsus curationem instituit. Verum quandoquidem huiusce ueneni uis adeo uehemens, et immanis existit, ut expugnari non possit, non est cur plura hic referam, quam ex Erasistrato memoriae prodidit Dioscorides. Quem ducentem et authorem secuti, ut ipse suis de medica materia libris hoc sexto finem imposuit; ita nos nostris in eos commentarijs, quos ad nostram comminamque rei medicae studiosorum utilitatem conscripsimus, iam extremam manum imponemus. Non oblitus immensas gratias agere deo optimo maximo, cui et omnia accepta referimus, et honorem ac gloriam tribuimus sempiternam.

LIBRI SEXTI ET VLTIMI FINIS.

Venetijs, In Officina Erasmiiana,
Vincentij Valgrisiij.

CAP. LV.